

Etimoniales S. Thomæ de Janua jurisdictionem exercerent. Quæ notitia majorem forte lucem potest afferre ad intelligendam causam, cur Episcopus Guido II. multas hujus Parochialis Ecclesiæ collationes a decessoribus suis libere factas in proluxa membrana solemniter exscribi, ac in publicam formam redigi voluerit; vide notam ad doc. n. 217. col. 232.

MCLXXXIV. col. 81. n. 64. Edidit Ghilinius pag. 12. qui ita in sequentibus locis a meo exemplari discrepat col. 82. lin. 13. Curariam legit Curajam lin. 21. quoslibet annos l. quoslibet quinque annos. lin. 38. imperatoris l. imperii. lin. 50. dominium l. dominum.

Col. 83. lin. 3. Vascus l. Vafonus lin. 20. Malevassi l. Malevisca. selectiores, ac meliores sejunxi. Adverto lin. 22. de Vella forte meliorem esse lectionem de Vercellis. Ad hæc tempora spectare puto conventionem Alexandrinorum cum civitate Terdonæ, quæ in Terdonensi Chartulario jam memorato sine anni notarefertur, in quo inter cætera hæc leguntur: Si vero illi de Palea usque ad mediam quadragesimam per voluntatem Imperatoris de Palea egressi fuerint, tenebimus, quod nullum eis malum inferemus.

MCLXXXIV. col. 83. n. 65. lin. 42. præceptis eorum missi, lege præceptis, & eorum.

MCLXXXVI. col. 84. n. 66. Contuli cum synchrona membrana Capituli, & detegi hæc mutanda. lin. 44., & 45. loco nobis legendum vobis. lin. 49. sententiam D. l. sententiam A., idest Algisii. In fine habebatur subscriptio Notarii. Et ego Ja. Imperialis Aulæ Not. autenticum hujus exempli cum Bulla, & corda in ea posita bullatum in quo continebatur Urbanus PP. III. videns legi.

MCLXXXVI. col. 84. n. 67.

Col. 85. lin. 31. Dondamine legendum Rondanine. lin. 53. ordini . . . l. ordinis. lin. 61. promulgaverit l. promulgaverint.

Col. 86. lin. 16. Tiberim S. Calisti hic deest nomen alterius Cardinalis, qui habebat titulum S. Calixti. lin. seq. tit. XII. Apostolorum in aliis Brevis (Verci Mar. Trivig. n. 29. T. 1.) legitur tit. Basilice Apostolorum.

MCLXXXVI. col. 86. n. 68. Contuli cum capituli membrana, ex qua hæc didici emendanda. lin. 40. & bone memorie Algisii legitur bone memorie A., scilicet Algisii. lin. 45. eandem Parochiam l. eadem Parochia. lin. 49. fraternitatis l. fraternitati. lin. 51. dele S. Petri.

MCLXXXVI. col. 86. n. 69. Illud in primis notandum hoc documentum in serie relatum a C. V. Malacarne Lib. Cit. p. 240. qui non nisi octo, vel novem lineas ex ipso protulit. At omnia perturbavit, confudit, ut vix una linea sit, quæ non gravi aliquo errore scateat. Prima linea non reperitur in textu. 2. ineptum est, quod ait terras, & gerbas M. Boccacii coherentes fuisse Calamagnæ, Boccaccio, & VV. Blanco. Gerba Hugonis non hæc, sed alias habebat coherentias, scilicet Calamagnam, Ecclesiam de Vidisano, & via a duabus partibus. 3. Campus de Ulmo erat in Montexel, non Montexemo, & M. Boccaccius non respondit hunc campum se tenere ab Episcopo, sed a massariis Canonicorum. Demum agitur de de-

cima a Manfredo Boccaccio solvenda non a Consulibus Aquensibus, uti lin. 13. affirmat. Sed de hisce jam plura, quam oporteret. Noverit Lector editum hoc exemplar contulisse cum autographo Capituli, unde hæc corrigenda col. 87. lin. 5. decimam legitur decimas lin. 6. aut l. & . lin. 10. Hugone l. Hugonis. lin. 16. habebat l. habuerat. lin. 17. Gerbis l. Gerba. lin. 36. Vellelmus Blancus l. Vilelmi Blanc. lin. 44. MCLXXXVI. l. MCLXXXV., item lin. 46. dele amen lin. 47. Bellefii, Ugo Amaldus l. Bellefi, Ugo, & Arnaldus. post Palatii adde jussu infrascriptorum Consulium hanc sententiam scripsi.

MCLXXXVII. col. 88. n. 70. Revocavi ad primigeniam Capituli membranam, ex qua emendanda hæc duo: lin. 30. presente l. in prædicto. lin. 32. Coturbia l. Conturbia. Puncta autem lineæ vigesima indicant ibi eorum, quæ a Canonicis petebantur, summam expositam fuisse, & ut innui in notis, eisdem verbis ac in antecedenti Consulium sententia a l. 1. ad 4. item a lin. 8. ad 21.

MCLXXXVII. col. 88. n. 71. Extraxi hoc diploma ex quodam volumine chartaceo ejusdem Monasterii admodum deformato, ac sæculo XIV. conscripto: proinde nil mirum si notæ falsæ sint. Videamus autem num suo anno restitui possint. Henricus VI. electus fuit Romanorum Rex anno 1169. primis junii diebus; obiit in Sicilia sub finem anni 1197. Regni XXVIII, imperii vero VIII. Philippus ejus Archicancellarius mortuus est anno 1191. Milo versus annum 1187. Urbano Pontifici in Archiepiscopatum Mediolanensem successit. Propterea hoc diploma conscriptum esse debuit sub finem anni 1186., cum circa ætatem Fridericus Italia cessisset, ac in Lombardia Henricum VI. filium suum reliquisset. Quare ita essent emendandæ notæ: anno Domini MCLXXXVI. Regnante D. Henrico VI. Romanorum Rege gloriosissimo anno regni ejus XVIII. Nil obstaret autem, quominus etiam ad annum 1187. collocari posset, cum Henricus a Romana expeditione regressus per has regiones moraretur. At cum videamus in fine hujus diplomatis appositum n. XVIII., qui convenit cum an. 1186., idcirco mutata sententia nunc revocarem ad præcedentem potius annum, quam ad istum nimirum 1187. Sed quomodo irrepserit illa nota VI. in apographo illo chartaceo? Re diutius perpensa, videor invenisse causam, scilicet librarius in autographo vidit siglam verbi idest, vel scilicet, quam haud intelligens ipse putavit numerum esse VI. Hæc ut clariora fiant, adferam diplomata hujus Regis ad duos hosce annos spectantia, quorum mentio, vel exemplaria typis edita ad meam notitiam pervenerunt. 1886. III. nonas junii versabatur in campo urbe veteri (Dumont. Corp. dipl. T. 1. p. 1. pag. 109. Lunig. Cod. Germ. Dipl. T. 1. pag. 359.) Item 16. julii erat in obsidione Urbis veteris (Lun. Cod. Ital. dipl. Tom. 1. p. 393.) 1. septembris in Castro S. Miniatis (Lami Delic. erudit. T. 1. p. 196.) 7. octobris Bononiæ (Ann. Camald. T. IV. pag. 153.) V. C. Otdericus in suo de variis antiquitatibus opere Romæ edito pag. 131. meminit cujusdam diplomatis die 25. octobris apud Cesenam hoc anno a Rege Henrico